

Veruntamen Masius ab eâ, quæ communi-  
ter Thomistis circa primam entis diuisionem  
attribuitur, doctrinâ deuiat, licet se Thomistam  
in omnibus profiteatur : attribuitur siquidem  
Thomistis, quod diuidant primâ diuisione ens  
reale in vnum & multa.

Apud Scotistas famosa est illa diuisio, quam  
dicunt omnino primam scilicet in ens quantum,  
& non quantum : per quantitatem hic intelli-  
gentes, non quantitatem molis, sed virtutis. Et  
hanc diuisionem videtur ponere Scotus propter  
relationes diuinas, quas ipse negat esse quantas,  
id est, dicere perfectionem. Quæ omnia iuxta  
opinionem Scoti fultius explicare, ad Theolo-  
gum pertinet.

Apud eosdem Scotistas viget alia diuisio  
entis, vt videre est apud de Vallone, & Meurif-  
sum dicentes ens prima sui diuisione diuidi in  
Deum & creaturas, dicitur tñ, se fundari in Scoto:  
quidquid sit de mente Scoti, disputent ipsi.

Existimo ego quod ens reale prima sui diui-  
sione diuidatur in Deum & creaturam. Ratio  
mea est, quia cum modus intrinsecus consequatur  
quidditatem, & posterior sit quidditate suâ,  
Deus & creatura sunt quidditates respectu finiti  
& infiniti, quanti & non quanti, ideo prima diui-  
sio entis realis erit in Deum & creaturam, tan-  
quam per priora, & per quidditates.

Secundo probatur ratione Meuriffij : illa  
est vniuocatio & ideo prima diuisio, cuius  
membra magis distant : sed non est dabilis diui-  
sio entis realis, cuius membra magis distant  
quàm in Deum & creaturas, ergo ista est prima  
diuisio entis realis. Maior patet : & minor pro-  
batur, quia vnum membrum excedit vltra omnem  
determinatam vel determinabilem proportio-  
nem. Deniq; Deus & creatura omne ens reale  
exhauriunt, ergo primam diuisionem consti-  
tuunt. Ex quibus rationibus manifesta relinquitur  
falsitas contrariarum opinionum.

Notabis alias esse varias entis diuisiones,  
quæ cum prædicta in re ipsa & identitæ conueni-  
unt : licet sub diuersis nominibus, & concepti-  
bus tradi soleant, & hæ sunt præsertim, videlicet  
in ens quantum & non quantum : in infinitum  
& finitum : in ens à se, & in ens ab alio : in neces-  
sarium & contingens : in ens per essentiam & in  
ens per participationem : in increatum & crea-  
tum : in purum actum & in potentiam & c. de  
quibus omnibus diuisionibus legendus est Sua-  
rez tom. 1. *Metaph. disp. 1.*

His suppositis, explicationem diuisionis  
entis realis, in increatum & creatum aggredi-  
mur. Partitio prima inquiremus an ens reale  
conueniat vniuocæ enti increato, & creato, seu  
Deo & creaturis? In secunda ostendetur, quod  
Deus sit, id est, proponatur rationes, quibus ad  
existentiam Dei adstruendam deducimur : In  
tertia de attributis Dei naturali lumine notis  
discurremus, cætera ad Deum spectantia Theo-  
logis relinquentes. In hac autem Disputatione  
nichil de altero prædictæ diuisionis membro  
dicemus : sed de eo suffusim in  
subsequentibus.

Partitio I.

An Ens reale sit vniuocum?

EX solemnioribus inter Thomistas & Scoti-  
stas agitatæ controuerfijs, præsens non infir-  
mum tenet locum, Thomistis asserentibus ens  
se habere analogicè respectu Dei & creatura-  
rum, respectu substantiæ & accidentis : Scotistis  
verò affirmantibus dictam entis diuisionem esse  
vniuocam. Partes Thomistarum ferè omnes  
(excepta solâ Scholâ Scotistarum) tuentur.

Ventilatur autem hæc difficultas à Theo-  
logis ab interpretibus D. Th. 1. p. q. 13. a. 5. à Sco-  
tistis, in primo disp. 3. q. 1. ab Aureolo in 1. disp. 2.  
à Bacheo in 1. disp. 25. ab Albertino tomo 2. Co-  
rolla primo principio philosophico disp. 1. q. 7. ab  
interpretibus Arist. in 4. *Metaph.* vt à Flandrensi,  
Sonc. Jauello, Fonse. &c. & communier à  
Metaphysicis, vbi agunt de diuisione entis, vt à  
Suare, Fauentino, Meuriffo, & c. Item à Logicis,  
vt à Masio, Mendoza & c. dum agunt de Analo-  
gia nominum, aut de diuisione entis in decem  
prædicamenta : concomitanter enim de Analo-  
gia aut vniuocatione Entis disputant.

CLYPEVS PRIMVS.

Thomistarum Rationes.

PRæmittimus in hoc clypeo rationes quibus  
Thomistæ Analogiam entis defendunt, qua-  
rum

Prima sit. Quæ totaliter sunt posita sub  
extremis, ea non sunt vniuocæ : sed Deus & crea-  
tura sunt totaliter & immediate posita sub ex-  
tremis Item substantia & accidentis, ergo ens non  
est vniuocum ad illa. Maior patet : minor pro-  
batur ; finitum & infinitum sunt extrema, sed  
creatura est posita sub ente finito, & Deus sub  
ente infinito : Item substantia est posita sub ente  
à se, & accidentis sub ente ab alio, ergo sunt posita  
sub extremis.

Secunda Illis, quæ sunt primo diuersa, nihil  
est commune vniuocum : sed Deus & creatura  
sunt primo diuersa ; in nullo enim Deus continet  
cum creatura ; si enim conueniret, haberet  
aliquid, quo conueniret, & aliquid, quò differ-  
ret, sicque esset compositio in Deo, nempe ex eo,  
quo conueniret, & ex eo, quò differret.

Tertia. Illa natura non est vniuocæ, quæ  
communis multis de vno prædicatur in abstra-  
cto, & de alijs in concreto : sed natura entis, quæ  
est communis Deo & creaturis rectè prædica-  
tur de Deo in abstracto, de alijs verò in concre-  
to, ergo non est illis vniuocæ. Maior patet ; nam  
abstracta sunt talia à se, à concreta sunt talia ab  
abstractis ; illi autem quod est tale à se, nihil est  
commune vniuocum cum eo, quod non est tale  
à se. Minor quoque manifesta est ; nam Deus est  
ipsismet esse, & ipsamet entitas : at creatura  
dicitur esse ens in concreto.

Quarta. Quod absolute, & simpliciter  
enunciatur de aliquo, non conuenit vniuocè  
cum eo, quod enunciatur limitatè : sed ens abso-  
lutè & simpliciter dicitur de Deo. Exodi cap. 3.  
Ego sum qui sum : at esse enunciatur limitatè de  
creatura, nam homo non dicitur esse id quod  
est, sed dicitur esse homo.

An ens sit vniuocum?

Nam 1. Propositi-  
onem in ar-  
gumto  
rationis  
quæ dicitur non  
sit vniuocæ.  
Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Opinio Au-  
thoræ.